legatis, ibi: *Legari autem illis solum potest, cum quibus testamenti factio est.* Idest, iis qui possunt in testamento hæredes instituere. Ut explicat *ibi glosia verbo, Testamenti, ab omnibus recepta*, dicens accipi in passiva significatione factionem testamenti. Atque de hæreditate, & legato est sermo, quamvis non tam expressis verbis, *lege regia 2. tit. 26. part. 7.* ibi: *Otro si dezimos, que non le puede ser dexada manda en testamento de otro, nin seres obligado por heredero de otro: è aun dezimos, que non deve valer su testamento, nin donacion, nin vendida que le fuese hecha, nin la que el fiziese a otro de lo suyo, del guia que fuese hecha, nin la que el fiziese de aqui adelante.* Ubi *Gregorius Lopez, verb. Por heredero*, ait: *Imo à die commissi criminis, juxta jus canonicum, sic in hoc standum est.* Et loquens de apostata decidit *l. Recisa 5. tit. 25. eadem par. 7.* ibi *Apostata non pueda ser establecido por heredero de otros en ninguna manera: è manda: o donacion que le huviesen fecho, o que el fiziese à otro, non valga desde aquel dia que apostato.* Ubi notanda sunt verba, *Non le puede*, posita in priori lege, & verba, *Non pueda*, posita in posteriori, quæ actum reddunt prorsus irritum, & auferunt potestatem, atque omnem obligationem civilem, & naturalem. Ut multis citatis probavi *lib. 6. de matrim. disput. 38. num. 20. in tertia ratione*, probans contra alios nil discriminis esse in hoc, sive textus dicat, *non possit*, aut *non potest*. Atque ita hujus sententiæ sunt *Fabor §. Legari, numero 2. versic. in stirpe ea glosa, institut. de legatis*, ubi hæc ait: *Si hæretico legetur, ille non potest capere, nec accipere, & ideo pro non scripto habetur. Sed ille, qui non vindicat mortem defuncti accipit, sed non capit, quia non capit ad suum commodum sed fisci: ipse tamen accipit: & hæres remanet.* Et *Quemada latè probans in suis quæstionibus fiscalibus, quæst. 18. per totam*, ubi ait hæreticum ante omnem sententiam esse incapacem hæreditatis, & legati, & hæc sibi relicta acquiri aliis hæredibus: & bis se ita pronuntiasse, cum esset judex fisci, ac utramque sententiam fuisse confirmatam in supremo Inquisitionis tribunali. *Et Menochius consil. 185. numero 14. volumine 2.* ubi *citato Episcopo Balneoregiensi in suis quæstionibus positis post judiciale Inquisitorum, quæst. 17.* tradit legatum relictum hæretico, etsi occultus sit, esse ipso jure nullum: & *num. 8.* ait eum esse legati incapacem, ac legatum ei relictum esse pro non scripto habendum, & *consilio 186. statim sequenti, in numero decimoquarto*, ait hæreticum esse incapacem hæreditatis. Et *Simancas de Catholic. institut. tit. 9. num. 124.* ait hæreticum neque ex testamento, neque ab intestato aliquid capere posse, & idem else in legatis, & fideicommissis, sed ea omnia ad alios hæredes pertinere. Et *Meres de majoratu, in priori editione, parte prima qu. 1. n. 91. 92. & 93.* ubi ait hæreticum esse à die criminis, ante declarationem, incapacem legati, & hæreditatis ex testamento, vel ab intestato, atque in hoc succedere alios hæredes. Ex quo infert *num. 95. 96. & 98.* majoratum, & meliorationem in favorem hæretici facta, etsi non fuerit declaratus, esse inefficacia, tamquam facta in gratiam incapacis, & ejus, cui nil acquiri potest à die criminis: & ideo ait proximiorem successurum in eum majoratum non esse, qui alias succedere deberet eo non defunto, sed proximitatem spectandam respectu illius, qui ultimo loco majoratum obtinuit, cui delinquens succedere deberet, si capax esset: quippe hic tamquam incapax nullum gradum fecit: ut *ibi* latius probat, & à *num. 100.* latè probat eamdem incapacitatem in reis criminis læsæ majestatis humanæ. Et *Avendanno Junior, l. 4. Tauri, glosa 7. num. 11. & Menochius consil. 1128. numero 4. & num. 5. volumine 12. & Cervantes in eadem l. 4. num. 38. & 39.* dicunt hæreticum esse incapacem hæreditatis ex testamento, vel ab intestato, ac succedere venientes ab intestato: & *num. 40.* dicit *Cervantes* hoc esse verum, etsi nondum hæreticus damnatus sit, nec ejus hæresis sciatur, & *nu. 41.* probat idem in crimine læsæ majestatis humanæ. Et *Azevedo lib. 8. Recopil. tit. 3. l. 1. num. 164.* dicit institutionem hæretici haberi pro non scripta, ac succedere alios hæredes. Et *Tello l. 4. Tauri, num. 49.* ait relictum hæretico haberi tamquam non scriptum. Et *Vasquez 1. 2. quæst. 96. artic. 5. disputat. 169. cap. 3. num. 32.* ait hæreticum esse inhabilem ad hæreditatem acquirendam etiamsi occultus sit. Et *Azor. tomo primo institution. moralium lib. quinto cap. 8. quæst. 1.* ait hæreticos à die commissi criminis esse inhabiles ad aliquid acquirendum, nec posse cujuscumque relicti in testamento dominium acquirere: & *libro octavo capit. 12. quæst. 8.* ait nequire à die commissi criminis acquirere sibi obvenientia testamento, aut legato, aut fideicommisso, & addit utroque loco ea ad alios hæredes pertinere. Atque loquentes de reo criminis læsæ majestatis humanæ tradunt idem, dicentes eum esse incapacem succedendi ex testamento, & ab intestato, *Cepola consil. civili 58. num. 24. Gygas tractatu de crimine læsæ majestatis, libro 2. tit. de pœnis committentium id crimen, tota 9. 31.* Quod idem (ut retuli) tradunt aliqui ex Doctoribus allegatis. Et *idem Gygas ibidem, quæst. 14. numero 1. & Decianus in sua præt. lib. 7. cap. 40. numero 26.* dicunt hunc esse incapacem hæreditatis, vel legati, & hæc aliis hæredibus danda.

33 Ex quibus deducitur hæc omnia non publicari, nec ad fiscum devolvi, utpote quæ hæretico non sunt acquisita. Quod etiam constat ex *l. 3. ff. de his qua pro non script. habentur*, ibi: *Si in metallum damnato quid extra causam alimentorum relictum fuerit, pro non scripto est, nec ad fiscum pertinet.* Atque ita de hæreditate in testamento relicta hæretico, tradunt *Quemada, Simancas num. 125. Meres nu. 93. & Avendanno, Vasquez, Menoch. n. 5. Azevedo, Azor. q. 8. Cervantes n. præced. allegati.* Et de hæreditate ab intestato, tradunt *Simancas, Meres, Avendanno, Vasquez ibidem.* Et de fideicommisso, quod hæretico relinquitur, tradunt *Simancas, & Azor. ibidem.* Et de legato tradunt *Faber, num. prec. relatus, Quemada, Simancas, Meres, Azor. ibidem.* Atque in crimine læsæ majestatis tradit idem loquens de hæreditate, vel legato, *Gygas ea q. 14. n. 1.* Et idem tradunt de bannito succedendi incapaci, *Paulus cons. 212. n. 1. vol. 2. & Farinac. alios allegans in sua pract. in nova editione, tom. 1. p. 1. tit. de delictis & pœnis, q. 25. n. 139.*

34 Sed tenenda est prior sententia relata *num. 31.* si solum jus canonicum, & civile commune attendamus, quare ubi non fuerit jus regium reddens hæreticos incapaces, dicendum est cum ea sententia eos esse capaces, nec teneri ante declaratoriam criminis sententiam ea bona restituere, sicut nec reliqua bona: ea autem secuta, pertinere ad fiscum, sicut & reliqua bona ab hæretico acquisita: hæc enim acquiruntur hæretico. Quia satis est compertum ex *ibi* dictis, non reperiri textum statuentem hanc incapacitatem. At attento Regio Castellæ jure est amplectenda posterior sententia explicata *num. præced.* ut *ibi* probavi. Et ideò ea hæreditas, vel legatum, vel fideicommissum relicta hæreticis, non acquirentur fisco, nec ipsis hæreticis, sed aliis hæredibus, & si hæretici ea capiant, tenebuntur ante omnem sententiam ea restituere aliis hæredibus.

35 Quòd si quæras, an si hæreticus ille haberet filios, & post hæresim patris illorum moriatur avus paternus, succedant nepotes avo illi, quamvis adhuc suus pater hæreticus vivat? Et videtur pars negans. Quia superstite patre non succedunt filii jure proprio; imò nec aliquo modo, sed pater debet succedere. Cum ergo pater sit incapax, nec ipsi filii succedere poterunt. Quam etiam partem probant, quamvis pater hæreticus vivo avo obiisset, ea, quæ adducam *hoc lib. 2. cap. 30. num. 3.* Verùm hæc quæstio pender ex illa, an filii hæreticorum capaces sint succedendi avis catholicis: nam si teneamus sententiam dicentem eos esse incapaces, manifestum est eos non posse avo succedere, sive pater eorum sit superstes, sive obierit. At retenta nostra sententia quam tuebimur *hoc secundo libro, cap. 19. n. 13.* dicendum est eos succedere avo illi catholico, quamvis pater eorum hæreticus adhuc vivat. Ratio est, quia parente mortuo succedunt nepotes jure proprio, & ex propria persona, occupantque jus parentis: ac proinde incapacitas patris illis nocere non debet. Quod idem contingit, quando pater est civiliter mortuus, ut per deportationem, aut per alios modos, ob quo incapax successionis redditur. Ut probat textus expressus *l. 1. §. final. versic. Quidam filium, ff. de bonorum possession. contra tabulas*, ibi: *Quidam filium habuit, & ex eo nepotem, filius emancipatus, vel in potestate manens deportatus est. Quæritur an nepoti noceat? Et verius est, in utroque casu neo potem admittendum: deportatos enim mortuorum loco habendos.* Idem etiam constat ex *l. Gallus, §. Et quid si tantum, in fine, ff. de liberis & posthumis*, ibi: *Hæc omnia admittenda sunt, ut ad similitudinem mortis cæteri casus admittendi sint.* Et notant *ibi* omnes Scribentes. Idem etiam constat, quia si pater catholicus profiteatur in ordine Minorum, ac proinde effectus sit succedendi incapax, succedent ejus filii avo morienti, quamvis pater incapax naturaliter vivat. Ergo idem continget adveniente quacumque alia parentis incapacitate, ob quam non incurrunt inhabilitatem succedendi ejus filii ob crimen paternum: cum eadem sit ratio. Et ita tenent *Simancas de catholicis institutionibus titulo 28. num. 19. & expressius alios referens Menochius consil. 1128. num. 8. & 9. volum. 12.*

36 De donatione autem facta hæretico, *Quemada in suis quæstionibus fiscalibus, quæst. 18. & Azor. tom. 1. institut. moral. lib. 5. cap. 8. quæst. 1. & lib. 8. cap. 12. qu. 8.* dicunt similiter hæreticum esse incapacem à die commissi criminis, atque ita res illi donatas non ad fiscum pertinere, sed donanti reddendas esse. Quòd hæretico acquisitæ non fuerint. Sed existimo acquiri hæretico, nec teneri restituere ante sententiam, ac ea secuta, res has ad fiscum pertinere. Quòd nullus sit textus juris communis hanc incapacitatem probans; (ut probavi *n. 31.*) nec etiam juris regii. Nam duplex *lex regia citata numer. 32.* quæ de donatione loquitur diversimodè loquitur de hæreditate, utens verbo, *non potest*, & *non possit*: descendens autem ad donationes, tantùm dicit: *Non deve valer.* Quod similiter dicit de donationibus, quas facit hæreticus, & de aliis contractibus onerosis ab ipso initis, ut venditionibus: quæ tamen valent juxta multò veriorem sententiam, quam tuebimur *hoc 2. lib. cap. 22. num. 50.* ad eum effectum, ne donatarius, aut emptor teneatur in foro conscientiæ restituere, donec sententia criminis declaratoria accedat.

37 Similiter si hæreticus aliqua bona suo labore, artificio, aut negotiatione acquirat, pertinebunt lata sententia ad fiscum. Quòd hujusmodi acquisitionis capax sit. Atque ita tradit *Meres de majoratu in priori edit. parte 1. q. 1. n. 99.*

38 Demum tria circa hoc sunt observanda. Primum est, dum diximus *numero 32. & 33.* relicta hæretico non publicari, sed pertinere ad alios legitimos relinquentis hæredes, id est intelligendum, quando relinquens fuit ignarus hæresis: nam si conscius esset, publicabuntur in pœnam relinquentis. Sic tradunt *Simancas de instit. cathol. titul. 46. n. 56. Azeved. lib. 8. recop. tit. 3. l. 1. n. 168. Azor. tom. 1. instit. moral. l. 5. c. 8. q. 1. & l. 8. c. 12. q. 8.* Qui utroque loco idem dicit de scienter donatis hæretico. Quod fortiùs in nostra sententia procedit, cum *num. 36.* dixerimus id quoque esse verum in donatis ignoranter. Cum autem hoc in pœnam relinquentis sit statutum, ut relicta scienter in testamento hæreticis perveniant ad fiscum, non obligat, donec judex condemnet, ut hæc bona restituantur fisco, ob malam testatoris fidem in judicium deductam, & ante sententiam hæc erunt aliis hæredibus reddenda. Sicut verior sententia tradit in tractatu *de restituione*, donata ob causam turpem, aut spurio incapaci relicta, non tradenda fisco ante sententiam.

39 Hinc fit, peccare scienter relinquentem aliquid hæretico, nisi causa miserationis, quando est verè pauper, ad inopiam sublevandam. Quia relinquit inhabili, & ideò in pœnam delicti applicatur fisco. Sic tradit *Azor. to. 1. institutionum moral. lib. 5. c. 8. qu. 1.* addens tunc peccare, quando eum condemnandum certò novit. Quam limitationem non approbo. Quippe culpa non pendet ex condemnatione futura, sed quia relinquit facto inhabili per jura. Atque idem ait *Azor.* de donante scienter hæreticis. Sed cum *n. 36.* dixerimus eos esse donationis capaces, non erit culpa ex hoc solo, nisi aliunde ex circumstantijs adjunctis id vitietur. Excipe tamen nisi Episcopi, aut clerici sint, qui donant. Quippe *n. 31.* probavi interdici id illis.

40 Secundum observandum est, dum diximus *nu. 32. & 34.* hæreticos esse incapaces successionis ex testamento, & ab intestato, & legatorum, intelligi, donec per Ecclesiam reconcilietur: postea enim capaces sunt eorum, quæ in posterum obvenient, cassatis quæ antea obvenerant. Sic *Gregorius Lopez l. 5. verb. Se arrepienta, tit. 25. part. 7.* & illam legem decidentem apostatam etsi resipiscat, esse incapacem, explicat, nisi per Inquisitores ad Ecclesiæ gremium admittatur. Idem docet *Meres, de majoratu, in 1. editione part. 1. q. 1. n. 67.* Ante reconciliationem autem docet *Vasquez 1. 2. q. 96. art. 5. disput. 169. c. 3. n. 22.* eum non esse capacem, quamvis jam sit hæresim fassus, ac Inquisitorum suffragiis ad reconciliationem admissus. Quod idem ait esse probabile *Simancas de instit. cathol. tit. 9. n. 125.* quando jam fassus erat hæresim, at non erat calculis Inquisitorum ad reconciliationem admissus: magis tamen inclinat in eam partem, ut sit capax ex eo tempore, quo ad reconciliationem admissus est, etsi non sit reconciliatus: quamvis tandem dubius maneat. At in foro conscientiæ existimo eum esse capacem ex die, qua resipiscens ad fidem rediit, & ita hæreditatem eo tempore delatam, aut legatum, non esse restituenda, nec ad fiscum postea pertinere. Quod hæ pœnæ hæreticis imponantur: at hic ex tunc non est hæreticus. Item quia *numero 10.* probavi bona ex hoc tempore acquisita non publicari. Nec obstat *dicta lex regia 5.* quia loquitur de apostatis, quorum crimen est longè gravius, quàm simplicis hæretici: quamobrem ad simplices hæreticos non est trahenda.

41 Ultimum est, quamvis hæreticus sit aliorum legatorum incapax, est tamen capax legati alimentorum. Quia quantumvis incapax, est hujus capax, *l. 3. ff. de his qua pro non scriptis habentur*, ibi: *Si in metallum damnato quid extra causam alimentorum relictum fuerit, pro non scripto est.* Ubi *glosia verbo Alimentorum*, ait in eam causam relictum valere. Atque ita docent *Speculator tit. de executione sententia. §. Sequitur videre, n. 11. versic. Præterea legatum alimentorum, Surdus alios referens de alimentis, tit. 9. q. 33. n. 8. & duplici sequenti, Molina tom. 1. de justitia, disp. 154. col. 2. versic. De jure civili.*

42 Hinc fit alimenta non publicari. Quia cum sint personalia, nequeunt egredi personam, nec jura personalia transeunt in fiscum. (Ut probavi *nu. 6.*) Item quia cum habeant certam, & determinatam causam, ei non applicantur, cui ea causa non convenit. Item id constat ex *l. Is cui 11. ff. de alim. & cibar. legat.* ibi: *Is cui annua alimenta relicta fuerant, in metallum damnatus, indulgentia principis restitutus est. Respondi eum & præcedentium annorum recte capisse alimenta, & sequentium ei deberi.* Tandem, quia bona futura non veniunt in confiscatione, juxta dicta ex omnium mente *num. 8.* At in alimentis relictis tot sunt legata, quot anni, & in principio cujuslibet anni cedit legatum, *l. Si cum præfinitione 20. ff. quando dies legatorum cedat.* Ergo confiscatio non impedit legatarium capere alimenta post confiscationem cedentia. Atque ita contra *Albericum de statutis, lib. 3. quæst. 11. num. 3. unico*, dicentem de stricto jure ea esse publicanda, tradunt *Franciscus Lucanus de privilegiis fisci, in 2. part. principali titul. de publicatione bonorum, numero 5. Simancas de institut. catholicis, titul. 9. num. 63. Julius Clarus lib. 5. receptarum quæst. 78. num. 23. in fine, Peregrinus alios referens de jure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 123. Bossius in sua præt. tit. de bonorum publicatione, num. 72. Farinac. in sua præt. in nova editione, tomo 1. part. 1. tit. de delictis, & pœnis, quæst. 25. num. 145. Lara l. Si quis à liberis, §. Sed utrum, num. 6. ff. de liber. agnos. & alios referens Surdus de alimentis, tit. 8. & privilegio 59. num. 14. & tit. 9. privilegio 33. nu. 1.* Atque hoc etiam habere locum in crimine hæresis, probant rationes adductæ: & docent *Burset. consil. 14. nu. 28. volum. 1. & Surdus ea quæst. 33. num. 2.*

43 Limita tamen ut intelligatur de alimentis, quæ in *Summa Th. Sanchez Fars I.* futurum debentur pro tempore, quod post sententiam cessit: quæ enim tempore sententiæ cesserant, & sic tunc debita erant, publicabuntur inter alia bona. Quod ea sint jam bona præsentia, & in iis cesent omnes rationes *num. prec.* consideratæ, impedientes hanc publicationem. Sic docet *Surdus eo privilegio 59. nu. 21. in fine, & 22.* Atque nec publicantur alimenta, quæ cesserunt postquam hic ab hæresi resipuit. Quippe reputantur bona futura, juxta dicta *n. 10.*

44 Atque nec publicatur legatum alimentorum implicitum sub nomine usufructus relictum: ut cum vir filios habens relinquit uxori usumfructum, id enim legatum restringitur ad alimenta: hæc ergo non confiscabuntur modo explicito *num. præced.* sicut contingit in alimentis expresè relictis. Quippe de eo usufructu disponunt omnia jura, sicut de alimentis expresè legatis. Sic alios referens tradit *Surdus de alimentis, tit. 8. privilegio 59. numero 24.* At quando nec expresè legantur alimenta, nec legatum usufructus in ea resolvitur, confiscato usufructu delinquentis, non reservabuntur ei alimenta. Hoc est contra *Cynum l. Corruptionem 16. in fine C. de usufructu, & ibi Alberic. num. unic. versic. Item facit*, dicentes relinqui tunc alimenta in eo usufructu inclusa. Sed hoc nullo jure probatur. Et ideò hanc sententiam tenet *Bald. ea l. Corruptionem, num. 7. Surdus eo privilegio 59. num. 14. Peregrinus alios referens de jure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 123.*

45 Quando autem nec alimenta, nec usufructus leguntur, sed alicujus prædii fructus, hi confiscantur omnino. Quòd cessent rationes *num. 24.* traditæ. Sic *Cavalcanus de usufructu mulieri relicto, numer. 339. Surdus eodem privilegio 59. num. 25.*

46 Ex his fit plurimùm referre ad confiscationem, an debitum hæretico in singulos annos, debeatur ex contractu, an ex ultima voluntate: priori enim casu confiscabitur totum debitum etiam, quod annis post publicationem obveniet. Quia tunc est una, & perpetua obligatio, sicut annuo censu publicato publicantur omnes redditus etiam in posterum obventuri, *l. Stichum 16. ff. de verb. oblig. l. Senatus, §. ultim. ff. de donat. causa mortis.* Posteriori autem casu non publicantur redditus futurorum annorum, juxta dicta, *numero 43.* Quia censentur plura legata, ut *ibi* explicui. Sic tradit *Simancas de cathol. institut. tit. nono numero 135. & 136.* Hoc tamen intellige, quando hoc legatum annuum non reputaretur unicum, sed plura legata, juxta distinctionem traditam *l. Si tum præfinitione 20. ff. Quando dies legatorum cedat*, quæ est, ut si pro alimentis relinquatur, censeatur multiplex: si autem relinquens non reliquit pro alimentis, sed in plures pensiones divisit gratia exonerandi hæredis, est unicum legatum. Quare tunc confiscabitur in totum, sicut de debito ex contractu dixi. Quia eadem est ratio.

47 Hactenus egimus quando hæreditas defertur hæretico post crimen commissum. Superest tractandum de publicatione hæreditatis delatæ hæretico ante crimen, nondum tamen ante illud aditæ. Atque eadem est difficultas, quando ea hæreditas deferretur post delictum publicationi subjectum, non reddens delinquentem incapacem hujus successionis, *Vasquez 1. 2. quæst. 96. artic. 5. disputat. 169. capit. tertio, numero vigesimosecundo in fine*, ait hæreditatem delatam iis, qui non redduntur incapaces ob id crimen, pertinere ad fiscum: idque nulla ratione probat: at probari potest, quia actiones & jura condemnati, cujus omnia bona publicantur, transeunt in fiscum. (Ut probavi, *numero secundo & tertio.*) At delinquens habet jus ad eam hæreditatem.

48 At dicendum est eam hæreditatem minime publicari. Quia hæreditas delata, & nondum adita, non transit ad hæredes, *l. unic. C. de iii, qui ante apertas tabulas, & l. unic. §. In novissimis, C. de caducis tollendis.* Et ratio est, quia cum delatæ hæreditatis jus, & dominium pendeat ex hæredis consensu, & ille consentus sit personalis, ut notat *Bart. l. Is potest, numero 14. versic. Et per hoc dico, ff. de acquir. hæredit.* non potest transire ad successores hæredis absque ipsius aditione. Nec ergo transibit ad fiscum, juxta regulam, *num. 5.* traditam. Et hinc solvitur fundamentum contrariæ sententiæ relatum *numero præcedenti*: habet enim verum, quando jura & actiones non sunt merè personalia, juxta dicta *num. 6.* Præterea, quia jus adeundi non dicitur esse in alicujus bonis, *l. Pretia rerum 63. ff. ad leg. Falc.* Non ergo publicatis illius bonis publicabitur. Atque ita docent *Decius consil. 445. num. 65. in fine, & sequ. volum. 4. & l. 3. toto §. Illud quoque, ff. Quod quisque juris, Nellus latissimè probans, distinctione aliorum rejecta, de bannitis 1. p. secundi temporis, nu. 30. Guillelmus Benedictus c. Raynutius, verb. Et uxorem, decis. 5. num. 282. Cepola consil. 58. civili, à num. 25. ad 28. Gygas de crimine læsæ majestatis, lib. 2. tit. de pœnis committentium id crimen, quæst. 8. num. unico, Cephalus consil. 321. à num. 34. vol. 3. Tello l. 4. Tauri, num. 49. 50. & 63. Decianus consil. 18. numer. 338. vol. 1. Meres de majoratu in priori editione, p. 4. quæst. 23. num. 45. Gutierrez §. Sui, num. 49. in fine, inst. de hæredum qualitat. Peregr. de jure fisci, lib. 5. tit. 1. numer. 95.* Et quamvis addat ad limitandum juxta dicta ab ipso, *num. 84.* nullam *ibi* limitationem apposuerat, sed quamdam *Ruini* distinctionem reprobarat *Farinacius in sua pract. in nova editione tomo primo, parte prima, titul. de delictis, & pœnis, quæst. 25. numero 141. Vasquez 1. 2. quæst. 96. art. 5. disp. 172.*

t. 3. n. 16. Atque benè ait *Cepola eo cons. 58. n. 28.* in primo casu, quamvis hæreticus post commissum crimen adierit, non succesurum fiscum. Quia cum hæreticus sit adeundi incapax, juxta dicta *num. 33.* nullum ex ea aditione jus fisco comparari valet.

49 Est tamen hoc limitandum, nisi id adeundi jus tale sit, ut ad hæredes extraneos tranſmittatur: tunc enim cessabunt rationes traditæ *num. prec.* & id transibit ad fiscum. Sic tenent *Jason* dicens esse commune, *l. Si quis mihi bona, §. Servus municipium, ait finem ff. de acquir. hared. Julius Clar. l. 5. recept. qu. 78. n. 25.* Hoc autem evenit in hærede suo, qui ratione privilegii suitatis hæreditatem sibi delatam, & nondum aditam transmittit in quoscumque hæredes, dummodo illam non repudiarit, *l. Apud hostes §. C. de suis, & legit. liber. l. Si fratris 3. C. de jure delib.* Et ita optimè ait *Menoc. cons. 77. n. 28. vol. 1.* legitimam filiifamilias, quando post obitum patris deliquit, etsi eam nondum petierit, publicari.

50 Posterior difficultas est, an delinquens posset hæreditatem sibi delatam repudiare in fisci præjudicium? Præmittendum est posse debitorem repudiare in creditorum præjudicium, & fraudem, hæreditatem, & legatum, quamvis sit hæres suus, qualis est filiusfamilias: & quamvis ejus bona sint affecta hypotheca, & quamvis ob delictum sit secuta condemnatio. Quæ omnia latè probavi *l. 6. de matrim. disput. 4. n. 8.* Et ultra *ibi* allegatos latè probat loquens de hæreditate, & legato, *Vasquez* optimas retiones adducens *1. 2. q. 96. art. 5. disput. 172. c. 3. a num. 13. usque ad 20.* Imò & donatio nondum acceptata potest in creditorum fraudem repudiari. Ut probat textus *l. si Sponsus 5. §. Si maritus, ff. de donat. inter vir. & uxor,* & tradunt *Tello l. 4. Tauri n. 52. Vasquez eodem c. 3. n. 14.*

51 At non possent hæc repudiari in alicujus favorem, seu clariùs loquendo, non posset debitor cedere legato, aut renuntiare hæreditati, ut vice ipsius alter, in cujus favorem renuntiet, succedat, dando illi suas vices, qui absque cessione hac non esset successurus. Quia in ea cessione imbibitur tacita acceptatio, & proinde acquisitio. Quod probavi *eadem disp. 4. in n. 17. contra alios ibi n. 16. relatos.* Et hanc meam sententiam ultra DD. quos *eo n. 17.* retuli, tenent *Tello 4. Tauri n. 55. Vasquez eodem c. 3. num. 18.* Advertit autem optimè *Tello ibi*, aliud esse pretio aliquo accepto mera hæreditatis repudiatio fieret, & non in favorem alicujus, quasi ex ea jus succedendi assequatur, sed repudiatio se habeat tamquam removens impedimentum, quo remoto alter succedit: tunc enim valida est in creditorum præjudicium: atque illis solum jus ad pretium acceptum competit, quasi in bonis debitoris existens. Quia pretium illud non efficit, ut repudiatio egrediatur veræ repudiationis terminos.

52 Sed difficultas est, an quæ diximus *duplici n. praced.* de repudiatione hæreditatis, & legati in præjudicium creditorum, possint etiam fieri in præjudicium, & fraudem fisci? Quidam dicunt posse ante condemnationem fisco applicandam hæc repudiari, secùs post: & ita conciliant duos textus, qui secum pugnare videntur. Prior est *l. Cum quidam 26. ff. de jure fisci*, ubi expressè videtur hæc repudiatio approbari, ibi: *Cum quidam capitis reus emancipasset filium, ut hæreditatem adiret, reseriptum est, non videri in fraudem fisci factum, quod acquisitum non est.* Posterior est *l. In fraudem 45. in princ. ff. Eodem titul.* ubi oppositum videtur decidi, ac hoc esse privilegium fisci, ibi: *In fraudem fisci non solùm per donationem, sed quocumque modo res alienata revocantur. Idemque juris est, etsi non quæratur. Æquè enim in omnibus fraus punitur.* Dicuntque priorem intelligi ante delinquentis condemnationem, at posteriorem post illam. Sic tenent *Bossius in sua practica, tit. de bonorum publicatione, n. 29. ad finem, Peregr. alios referens de jure fisci, lib. 5. tit. 1. nu. 190. & duplici sequenti.*

53 At dicendum est nullo in hac re privilegio gaudere fiscum, sed valere repudiationem in ipsius fraudem, perinde ac in aliorum creditorum. Quod probavi *l. 6. de matrimon. disput. 4. num. 8. versic. Tertio alii temperant*, ubi aliquos Auctores retuli, & ultra illos idem tenent *Annibal l. Post contractum, num. 284. ff. de donat. Plotus inter consilia criminalia Zileti, tomo primo, consil. 130. num. 57. Meres de majoratu, in priori edit. par. 4. quæst. 23. num. 45. & 53. Menochius consil. 101. num. 4. volum. 1.* Idem videtur clarè tenere *Vasquez 1. 2. q. 96. art. 5. disp. 172. cap. 3. n. 13. & sequent.* quia etsi quæstionem moveat expressè de repudiatione post delictum commissum, sed ante sententiam, at rationes quibus innititur, id probant in utroque tempore & refert *Tello* pro se, qui in utroque tempore loquitur, *l. 4. Tauri, num. 63. & 64.* & *ipsemet Vasquez ibi n. 14. in fine*, dicit eum, cujus bona sunt confiscata, posse hac repudiatione uti. Nec obstat textus *l. In fraudem* adductus *num. praced.* in contrarium: quia omissis variis solutionibus, quas *Tello ibi n. 64. & Vasquez ibi nu. 22.* impugnant, respondet *uterque Alciatum referens*, non esse in eo textu sermonem de renuntiatione hæreditatis delatæ reo, cujus bona publicantur: nec id significari in verbis illis, *idemque juris erit, etsi non quaratur*: sed lex illa solùm loquitur de punienda fraude facta fisco, alienando bona publicata: atque eamdem fraudem esse putat, eodemque modo puniendam, sive alienatio fiat, ita ut transferatur dominium in alterum, sive non transferatur, & ita prædicta verba intelligenda sunt, nempe, *etsi non quaratur*, idest, etsi non quæratur jus ei, cui in fisci fraudem res donantur. Sicut emphyteota eodem modo punitur alienando emphyteosim, sive alienatio valeat, sive non.

54 Sed dubitabis, an peccet hic repudians in fraudem fisci, quamvis valeat repudiatio? Ratio dubitandi est, quia eum peccare contra justitiam repudiando in aliorum creditorum fraudem dixi latè probans *lib. 6. de matrim. disputat. 4. n. 9.* quod idem ultra Doctores *ibi* allegatos sequitur *Vasquez 1. 2. qu. 96. art. 5. disput. 172. c. 3. nu. 15.* Sed sic distinguendum censeo: si sola bonorum publicatio facta sit, non peccat repudians. Quia fiscus non est creditor, nisi respectu bonorum, quæ tunc habet, nec tenetur in ejus commodum acquirere. Si verò erat damnatus aliqua pœna solvenda fisco, tunc peccaret repudiando, si aliàs non esset illam pœnam solvendo. Quòd tunc jam fiscus sit verus creditor, & reus teneatur lege justitiæ eam pœnam instar aliorum debitorum solvere.

55 Tandem aliud dicendum est de remissione debiti, ea enim à fisco revocabitur, instar aliarum donationum. Quia renuntiare debitis, est jus jam acquisitum, ac propria bona remittere, & donare. Et ita docet *Vasquez ea disp. 172. c. 3. num. 19.*

CAPUT XV.

De confiscatione peculiorum, ac legitimæ parentum, ob filiifamilias crimen.

SUMMARIUM.

Non procedit in filiis extra patriam potestatem constitutis, quo ad hæc peculia publicanda: & quoties ea publicantur, idem fiet, etsi filiusfamilias sit sacerdos, num. 1.
Quot quæstiones disputanda sunt? n. 2.
An ob delictum filiifamilias publicetur peculium castrense, vel quasi castrense? Refertur quadam sententia, n. 3.
Explicatur sententia Auctoris, ac solvuntur contraria, n. 4.
Quid si condemnatus ille filius haberet? n. 5.
Post n. 5. invenies alia summaria.

1 HÆc quæstio quod attinet ad peculia publicanda, procedit in solis filiisfamilias: nam cum emancipati non habeant peculia. *l. final. in fine, C. de inoff. testam.* de illis non procedit, sed omnia eorum bona publicabuntur, sicut cujusvis patrisfamilias. Quod benè advertit *Bernar. Diaz in pract. canonica, in nova edit. c. 132. n. 6.* qui benè etiam *eo n. 6. in fine* advertit, casu quo hæc filiorumfamilias bona non publicantur, nec publicari, etsi illi sacerdotes sint. Quia juxta frequentissimam sententiam ordo sacer non liberat patria potestate.

2 Quadruplex quæstio disputanda est. Prima est, de confiscatione castrensis, aut quasi castrensis peculii, ob crimen filii. Secunda de adventitii peculii confiscatione. Tertia de peculii profecticii confiscatione. Ultima de legitimæ confiscatione.

3 Quæstio prima. An publicatis filiifamilias bonis ob ejus delictum, publicetur castrense, aut quasi castrense ejus peculium? Duplex est sententia. Prior asserit id confiscari. Ducitur potissimùm, quia ideò statutum est *l. Filius 3. C. de bonis proscript.* peculium castrense non publicari ob filiifamilias delictum, quòd tempore illius textus filiusfamilias omnia patri acquirebat: ut constat ex *l. Placet 78. ff. de acquir. hared.* At favore militiæ concessa fuit filiofamilias libera potestas disponendi de peculio castrensi, vel quasi, ita tamen ut si non disponeret, sed ab intestato decederet, id peculium ad patrem pertineret, non quasi hæreditas, nec quasi denuo acquisitum, sed quasi numquam ab ejus dominio profectum, *l. 1. fin. ff. de coll. bonor. & l. 1. & 2. ff. de castrensi peculio.* Et ideò cum id peculium esset patris, non erat ei ob alienum filiifamilias delictum auferendum. Quippe id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, *regula Id quod nostrum, ff. de regulis jur.* At hoc hodie sublatum est, & constitutum, ut peculii castrensis, aut quasi, filiusfamilias integrum dominium habeat, & ipsi decedenti ab intestato pater non jam jure peculii, sed tamquam verus hæres succedat, *§. Si quis igicur, aut. de hæredib. ab intestato, collat. 9. & authent. defuncto C. ad Tertul.* Ergo cessat ea dispositio. Secundò, quia filiusfamilias habet liberam disponendi, & contrahendi in hoc peculio facultatem, instar patrisfamilias, *l. 2. C. ad Macedon. & l. 3. C. de Castrens. pecul. l. 12.* Ergo potest id peculium fisco obligare, & sic consiscabitur: cum fisco enim quasi contrahitur, & bona in eum quasi ex contractu alienantur, *l. Imperatores 34. ff. de jure fisci* ibi: *Ipse te huic pœnæ subdidisti.* Tandem, quia aliàs nulla filiifamilias bona publicarentur: cum adventitia, & profecticia, & legitima non confiscentur. Ut mox dicemus. Et ideò hæc sententia est valde probabilis, & eam sustinent *Romanus l. Si finita 15. §. Si de vectigalib. n. 15. ff. de damno infecto, & l. Si filiusfamilias 21. n. 3. ff. eod. tit. ubi Angelus n. 3. Decius l. 3. §. Filius, in nova editione, n. 4. ff. quod quisque juris, Crottus* dicens fortè hanc esse veriorem sententiam *l. Frater à fratre, numer. 34. ff. de*

de condict. indeb. Nellus tractatu bannitorum 1. part. secundi temporis, n. 25. Gygas tract. de crimine læsæ majestatis l. 2. tit. de pœnis committentium hoc crimen, q. 12. n. 2. Jacob. de Arena, & Florianus, quos refert *Peregr. de jure fisci, l. 5. tit. 1. num. 130.* & dicit fortè hanc opinionem prævaliturum pro fisco, *Anton. Gomez tom. 2. variarum, c. 15. n. 15. ad finem, Simancas de instit. cathol. tit. 9. n. 13. & duplici sequenti, Caldas l. Si [illegible]torem, verb. Lasis, n. 112. vers. Sed in oppositum, C. de in i[illegible]r. restit. Azevedo lib. 8. recopil. tit. 3. l. 1. n. 210. Cantera in suis quæst. criminal. tit. de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum, c. 1. n. 40.* dicens hanc in puncto juris esse veriorem, & se credere fore ut in praxi servetur, quamvis dicat in judicando, & consulendo, non recedendum à contraria sententia, quæ communis est, *Valdes addition. ad Suarez, l. Post rem judicatam, notabili 13. n. 2. versic. Sed in peculio castrensi, ff. de re jud. Azor. tom. 1. institutionum moralium, l. 5. cap. 7. qu. 8. & tomo 2. lib. 2. cap. 22. qu. 8. Vasquez 1. 2. quæst. 96. artic. 5. disput. 169. cap. 1. num. 9.*

4 Posterior sententia, (cui tamquam probabiliori adhæreo) ait non publicari ejusmodi peculium castrense, vel quasi, ob filiifamilias delictum, sed deferri tunc patri, in patriæ potestatis solatium. Probatur ex *l. Si filius 3. C. de bonis proscript.* ibi: *Si filius tuus cum esset in potestate, in insulam deportari meruit, peculium ejus, neque quod in castris acquisivit, vel quod ei militaturo donasti, auferri tibi debet.* Nec obstat quod contrarii intendunt, quod retulimus *num. praced.* in prima ratione. Quia ratio hujus dispositionis non fuit, eò quòd filiusfamilias non haberet in hoc peculio hæredem ab intestato. Quippe adhuc filio superstite, in quo casu non est locus hæredi ab intestato, defertur hoc peculium patri, in paternæ potestatis solatium, si bona filiifamilias publicentur. Secundò, quia idem jus habet filiusfamilias in hoc peculio, quo ad proprietatem, & usumfructum, quod in adventitiis, quo ad proprietatem, servato patri usufructu. Cum ergo hoc nec quo ad proprietatem publicetur, ut fatentur aliqui ex Doctoribus contrariis, & probabimus *numero 9.* nec illud ullo modo publicabitur. Tertiò, quia non obstant argumenta contraria adducta *num. precedenti*: nam ad primum jam responsum est. Ad secundum respondet optimè *Joannes Lupus rubrica de donation. inter virum & uxorem, §. 66. nu. 25.* non omnem potentem alienare ex contractu, posse quoque alienare ex delicto. Ut constat in viro, qui potest omnia lucra constante matrimonio acquisita alienare ex contractu, nequit tamen ex delicto nisi suam partem. Et ratio est, quia obligatio ex delicto non habet consensum verum, sed fictum, innitentem ei principio, *qui vult antecedens, vult consequens*, cum pœna delictum sequatur: & ideò minùs debilis est quàm obligatio ex contractu, quæ verum consensum habet. Nec etiam obstat ultimum, nec enim absurdum est, nulla filiifamilias bona ob ejus delictum publicari: cum id permittat textus dict. *l. Si filius.* Et ideò hanc sententiam sustinent *glossa l. 1. verb. Supplicii, ff. de bonis damnatorum, Speculator titul. de executione sententiæ, §. Sequitur videre, num. 11. & titul. de feudis, §. Quoniam, quæstione 40. num. 63. Azor. in summa, titul. de bonis proscript. num. 3. Cynus dicta l. Si filius, num. unic. & ibi Petrus num. un. Odofred. num. un. Bart. num. un. Baldus num. primo. Albericus. num. unico. Salicetus num. 1. & 2. Angelus, num. 1. Fulgos. num. 2. & 3. Idem Bart. l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus, num. 2. & 13. ff. de damno infecto, & ibi Alexand. num. 49. Imola num. 55. Zasius, num. 19. Idem Bart. l. Si filiusfamilias 21. num. un. ff. de damno infecto, & ibi idem Imola, num. 4. Idem Baldus l. Executorem 32. in fine versic. Si verò sit castrense, C. de executione rei judic. Albericus de statutis lib. 3. quæst. 12. num. unico, & qu. 24. num. 4. Decius regula ex pœnalibus 58. num. 3. ff. de regulis juris. Platea l. Et si instrumenta, num. 1. vers. Item nota hic, C. de fide instrum. lib. 10. Ananias cap. 2. num. 7. vers. Extra glossam, de delictis puerorum. Jason l. Servum filii, in principio, num. 7. ff. de legat. 1. & §. Actiones autem, num. 63. institut. de actionibus, & lib. 3. §. Si filius meus, num. 1. ff. Quod quisque juris, & ibi Alexand. num. 2. Jacobinus de Sancto Georgio, ibi, in prima lectura, num. 2. & in secunda nu. 1. Faber instit. de noxal. action. §. finali, num. 2. Ruinus consil. 24. num. 6. & 27. consil. 25 num. 4. volum. 5. & consil. 11. num. 7. volum. 1. Angelus tractatu de maleficiis, verb. Et ejus bona publicamus, num. 27. Parisius consilio 157. num. 36. volum. 4. Franciscus Lucanus tractatu de fisco, & ejus privilegiis, in 2. part. principali tit. de publicatione bonorum, num. 3. Ludovicus Gomez §. Actiones autem, num. 13. institut. de actionib. Boerius decisione 7. numer. ultimo, Joannes Lupus rubr. de donat. inter virum & uxor. §. 66. num. 24. vers. Præsupposito sine veritatis præjudicio, Maranta in sua practica part. 6. in ultimo actu, n. 36. Suarez l. Post rem judicatam, notabili 13. num. 2. ff. de re judic. Costa l. Quidnos, §. Cum in bello, verbo, Patris, n. 11. ff. de rebus dubiis. Bernardus Diaz in practica canonica, in nova editione, c. 132. n. 6. Covar. lib. 2. variar. c. 8. n. 7. versic. Hinc apparet, Plotus inter consilia criminalia Zileti, tom. 1. consil. 130. num. 16. Emmanuel Suarez addit. ad Antonium Gomez 2. variar. c. 15. n. 15. litera D, & in suo thesauro receptarum sententiarum, verbo Peculium, n. 7. Bossius in sua pract. tit. de bonorum publicatione, nu. 71. Julius Clarus lib. 5. recept. sentent. qu. 78. num. 13. Riminaldus l. 1. à num. 476. C. Qui admitti. Horoscius lib. 3. §. Si filius meus, verb. In magistratu, n. 8. ff. Quod quisque juris. Menoch. de recuperanda possessione, remedio 9. nu. 70. Decisio Cappella Tolosanæ 320. num. 3. & 4. Meres de majoratu, in priori editione, par. 4. Summa Th. Sanchez Pars I, qu. 23. n. 19. Ascanius Clemens de patriæ potestate cap. 6. effectu 2. numer. 37. Duennas regula 275. limitat. 7. Conradus in sua practica tit. de officio prætoris in causis civilibus, rubrica de executione sententia, num. 14. vers. Quarto in peculio, & titul. de officio prætoris in causis criminalibus, num. 3. versic. Quarto similiter limita. Mendez l. Cum oportet n. 84. C. de bonis qua liber. Hondedæus consil. 93. n. 37. volum. 1. Farinacius in sua practica, in nova editione, tom. 1. p. 1. tit. de delictis, & pœnis, q. 23. n. 11. & 13.* Et quamvis *n. 14.* hoc limitet, nisi in crimine læsæ majestatis, in quo etiam publicari tradit *Quemada in suis qu. fiscalibus q. 19. ad finem*: non est admittenda hæc limitatio, sed cum aliis est absolutè dicendum non publicari.

5 Quæ quidem sententia est vera, etsi ille condemnatus filios habeat, nam adhuc pater jure peculii occupabit castrense, & quasi castrense, nec de illius condemnati filiis curabitur. Quia vivens hæredem non habet, sed post solam mortem: tunc autem jam pater id filii peculium acquisivit. Sic tradunt *Salicetus l. 3. n. 2. C. de bonis proscr. Alex. l. Si finita 15. §. Si de vectigalib. num. 49. versic. Adde quod gloss. ff. de damno infecto. Peregr. de jure fisci, lib. 5. tit. 1. n. 130. vers. Ampliatur.* Quamvis contrarium minùs benè teneat *Bald. l. Executorem, n. 32. in fine, vers. Si verò sit castrense, C. de execut. rei judic.* dicitur ex *auct. Bona damnatorum, C. de bonis proscr.* ubi dicitur bona damnatorum non fisco, sed descendentibus deferri. Qui textus nil probat, cum hodie sit correctus, & deferantur fisco.

SUMMARIUM.

An ob filiifamilias delictum, publicetur adventitium ejus peculium? Refertur quadam sententia, n. 6. 7. & 8.
Explicatur sententia Auctoris n. 9. & ibi in fine, quid si hic filius haberet?
An saltem in Castella regno confiscetur tertia eorum bonorum pars, de qua potest filius testari? n. 10.
An confiscetur ob hæresim, aut crimen læsæ majestatis filiifamilias, usufructus qui in bonis ejus adventitiis competit patri? numero 11.
An confiscentur ea adventitia, quando patris consensu ea filius administrat, aut facto compromisso judicarunt arbitri administrationem esse filii? n. 12.
Quid si alius tunc usumfructum illorum haberet, at sperat pater se habiturum? n. 13.
Quid si ipse filius habeat eorum usumfructum? n. 14.
Solventur argumenta, n. 15.
Post n. 15. invenies alia summaria.

6 QUæstio II. An ob filiifamilias delictum publicetur adventitium ejus peculium? Duplex est sentent. Prior affirmat id publicari quo ad proprietatem, reservato patri usufructu, quem in eo habebat. Ducitur ex *l. Si postulaverit 27. §. Jubet ff. ad l. Juliam, de adulter.* ibi: *Publicamus in proprio, cujus ususfructus alienus est, nudam proprietatem.* Secundò, quia *l. Filius 3. C. de bon. proscript.* hanc publicationem interdicens, procedit stante jure antiquo, quo attento omnia adventitia filii bona acquirebantur patri, *l. Placet 78. ff. de acquir. haredit.* Non ergo hodie ea procedet, cum adventitiorum proprietas sit ipsius filii. *l. Cum oportet, & l. final. C. de bonis quæ liber.* Sed erit locus regulæ generali traditæ *eo §. Jubet.* Tertiò, quia etsi is cui alienatio interdicitur, nequeat alienatione voluntaria uti: secùs est de legali, & consequenter necessaria, qualis est per delictum. Sicut si filiusfamilias in religione profiteatur, pertinebunt ad illam adventitia quo ad proprietatem, reservato patri usufructu, *auct. Ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles.* Sicut etiam bona minoris, cui absque curatoris auctoritate est alienatio vetita, publicantur ob ejus delictum, *l. Clarum, C. de auctor. præst.* Quòd si respondeas, huic alienationem in ipsius favorem interdici, at filio familias in favorem patris: & ideò jure optimo ob proprium delictum privatur ille favore suo: iniquissimè autem ob alienum filii delictum privaretur pater favore suo: cum pœnæ solos suos auctores tenere debeant, *l. Sancimus C. de pœnis.* Impugnatur hæc solutio, eò quod alienatio adventitiorum interdicitur filio ob proprium ipsius favorem, & non patris. Ut constat ex *l. Finali, §. Filii autem, C. de bonis, qua liber.* ubi hæc alienatio interdicitur reddita ratione, his verbis: *Melius enim est coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium.* Quippe ea verba, *cupidini dediti*, non possunt referri ad parentes, cum ipsi non alienent victi ea cupidine, nec ipsis interdicatur hæc alienatio. Et ita *glossa ibi verbo Dediti*, ait *scilicet filii*. Atque si ea verba, *tristem exitum sentiant*, referantur ad parentes, manet nominativus ille absolutus. Et confirmatur, quia ex hac alienatione nullum damnum in patrem redundat, utpote cui reservatur usufructus, dum superstes fuerit, quem solum in filii bonis habebat: ac sola proprietas, quæ omninò filii erat, publicatur. Et ideò hanc sententiam tuentur *Ripa cap. Sapè num. 76. quæst. 11. de restitut. spoliat. Sylvest. verbo Peculium 1. quæst. 3. vers. In adventitio verò, Caldas l. Si curatorem, verbo Lasis, num. 112. versic. Sed in oppositum, & num. 152. vers. Sed in proposita specie, C. de in integrum restitut. Valdes addit. ad Suarez l. Post rem judicatam, no-*